

AURELII CORNELII

C E L S I

V I T A

A

GLARISSIMO VIRO

JOANNE RHODIO

Conscripta.



CORNELII CELSI laudabilem in  
Re Medica operam annis jam mille  
sexcentis, & quod superat, Expe-  
rientia, veritatis prima parens, fe-  
liciter probavit. Nec melioris animi

quisquam ita ab omni humanitate remotus fuit,  
cui non venerandum tam illustre nomen. At in-  
genio magis, quam origine notum, quam, relicta  
soli animo gloria, temporis diuturnitas posterita-  
tis memoriae exemit. Quamvis enim Romae vi-  
xisset Celsus, ipsius, sive ut aliis visum, Scribo-  
nii Largi ad J. Callistum Epistola indicio sit:  
non desunt tamen causae, cur addubitem, patria,  
an jure civitatis ipsum Romanis accenseam. Ma-  
ximeque, quum praeter hunc, quidam Julius Cel-  
sus Hadriano Imperatori à Consiliis, vel ex alio-  
rum sententia, Alexandri Severi temporibus, Ju-  
ris

P R A E F A T I O.

ris scientia perhibeatur claruisse. Vid. Spartianum in Hadr. 30. & Pompon. JC. lib. 2. in fin. de Orig. Jur. & Politianum lib. 5. Epist. ad Jac. Modestum. Equidem Celsum Patrem ac Filium Jureconsultis annumerat Hotomannus in Descriptione Jurisconsultorum, & Juventium Celsum Patrem ad Vespasiani Imperatoris tempora refert Jacob. Gothofred. Histor. Jur. Civil. cap. 7. de Jurisconsultorum successione. Idem Celsum Patrem & Filium sub Trajano, Hadriano, Antonino Pio vixisse censet. Verum & Apulejus Celsus Valentis ac Scribonii Largi in Medicis Magister occurrit apud Scribonium Largum de Compos. Med. cap. 94. & 171. Cujus praeter Agricolam Woverius in Apuleji Vita mentionem injecit. Nisi fortè cum Cornario in Marc. Empirici Praefat. interposito inciso, Apulejo, Celfo, distinctè legendum fuerit. Ita in praefat. Marcell. & Apulejus & Celsus occurrunt. Volaterranus etiam meminit in Anthropologia lib 14. Celsi cujusdam, qui Philosophiæ Stoicae sectator, Origenis erat adversarius, magiae scientia notus, cui Lucianus Pseudo-Maxtem inscripsit. Ejusdem quoque nominis ibidem, imperante Nerone, è Galliis puer novennis martyrio nobilitatus. Numo etiam innotuit apud Augustin. Dialogo 5. de Num. Celsus quidam III. Vir. Noster autem Augusti aetate floruit, ex quorundam sententia. inter quos Jo. Britannic. in Juvenal. Sat. 6. & 7. Ovidii auctoritate, vel ut Jo. Cajo placuit, Cl. Tiberii, A. C. 29; aut certe Caji Imp. conjectura Sambuci, Viri Antiquitatis notitia clarissimi. Major tamen eruditorum pars sub Tiberio vixisse, vel fortè ipso imperante natum usque ad Trajani tem-

pora vitam produxiffe censet; quamvis & sub Nerone vixisse putet Thom. Fienus. Ut uno seculo vetustior Galeno videatur. Caeterum, non levem hic de Patria ejus dubitandi occasionem praebet Cael. Rhodiginus, qui *Antiq. Lect. Lib. 14. cap. 5.* Veronenses, ait, cum Macrobio, Vitruvio, & Plinio, Celsum quoque suum ortu civem agnoscere. Librorum inscriptionibus hujusmodi divinationes stabiliri assolent. Sed exigui momenti munimento. Notius enim est, quam ut pluribus confirmetur, Librorum titulos Literatoribus & Librariis arbitrarios fuisse, vixque veterum quempiam ulli suorum Commentariorum quidquam praenotasse, referente de semet idipsum Galeno lib. 7. *Method. Med. cap. 1.* qui id officii ab Amicis habuit: haud dubie istius aevi modestia, quod ingenia admiratione superiora protulit. Sed enim, ut mala exempla ex bonis initiis orta: Ita ex aemula, in conquirendis magnorum ingeniorum monumentis, Principum munificentia, accrescente paulatim Librariorum avaritia, omnes propè optimorum etiam Auctorum praescriptiones impune, ad lucrosam cujusque libidinem, immutatae, ne dicam adulteratae.

Atque ut ad Celsum redeam; quot ejus hodie Editiones, tot ferme Inscriptiones diversae. Caesarii habet, Aurelii Cornelii Celsi de Re Medica VIII. Libri eruditissimi. *Vulgatae Lugdunenses omnes, & Leidensis modestius sine phalerato encomio A. C. C. D. M. L. VIII.* Horum priorem Cajus sic mutavit: Aurelii Cornelii Celsi Romani de Re Medica Libb. VIII. pereruditi. H. Stephanus in suo exemplari caeteris Medicinæ Principibus adjecto receptae le-

\*\*\*

tit-

V I T A C E L S I.

*Etioni subdidit; Operis ab eo scripti Pars Sexta. Vett. Codicum MS. auctoritatem secutus, quibus communis haec inscriptio: A. Cornelii Celsi Artium Liber VI. Nihil tamen hic praeter consilium & rem ab illo temerè factum. Patriam enim sive Auctor ipse, sive alius quispiam addiderit, id certè non caret vetustatis exemplo, potissimum apud Graecos, quos inter Celsus sibi Hippocratem Coum inprimis imitandum proposuit, cujus etiam pleraque non infeliciter Latino sermone reddidit, suam ipse testatus in Epist. ad Pullum Natalem, in hoc studiorum genere diligentiam, longè accuratior, quam Largii Designatiàni, qui Epistola ad filios se fuisse liberiores fatetur, quemadmodum notante Cornario in Dedicat. Marcelli, in plerisque Hippocratem expressit, ut integras sententiarum periodos ex ipso descriptas subinde in eo videas; imò tota capita nihil aliud quam Hippocratis sententias ad verbum reddunt. Hinc non immeritò Hippocratis Simiam dixit Nic. Monardus, de V. S. in Pleurit. f. 8. Etsi verò Latini Scriptores Patriam haud usque jaçtabant: nequam tamen diffidendum, antiquitus Romanae civitatis jus gloriosum fuisse. Quo fortè venditores Auctorem nostrum commendare satagebant; si ve is meritis & gratia civium numero adscriptus esset; si ve Roma oriundus. Posterius tamen ut credam, suadet praeter apertum Auctoris lib. 5. cap. 21. textum, Epistola ejusdem ad Callistum, & persuadet ad Pullum Natalem altera; in quibus inprimis Viri boni genius conspicitur. Imò Marcellus in Praef. Operis Cornelium Celsum inter viros illustres & cives enumerat, quicquid ei imposuerit Verderius Cens. p. 144. Ejus Columel-*

V I T A C E L S I.

mella, Claudii tempore clarus, ut aequalis aut certe paulo superioris, *Rei Rust. lib. I. cap. I. sic meminit: Nostrorum temporum Cornelius Celsus, totum corpus Disciplinae quinque libris complexus est. Quem Rusticam intellexisse, vero proximum est. Quintiliani sententia Inst. Orat. lib. 10. cap. 1. is Vir Eruditus, inter eos Philosophos Latinos, quos eloquentes literae Romanae tulerunt, qui scripsit non parum multa, scepticos sequutus, non sine cultu & nitore. Ideoque ob nimiam novitatis cupiditatem, ejusdem censura notatur. Scripta ejus sigillatim prodidit Volaterranus Anthropol.*  
 „ I. d. Cornelius Celsus mediocri Vir ingenio,  
 „ non solum artem Rhetoricam, sed de re Mi-  
 „ litari, & de Rusticana, deque Medicina libros  
 „ composuit. „ Quae omnia J. Doussa, aeternum  
 „ gentis & generis sui decus, in Sylva Extemporal.  
 hoc Epigrammate venustissime complexus:

Facta urbana tuo res Rustica munere,  
 scriptis  
 Nec minus illustris est Medicina tuis.  
 Hinc quoque Militiae tractasti commoda  
 Rhetor,  
 Hoc Martem Musis jungere, Celse,  
 fuit.

Subjungit Polybistor Italus: Ad nos tantum ejus Medicina pervenit Oratorio more conscripta. Sed & quaedam Rhetorica ejus nostra aetate Sixti Popmae studio feruntur emissa. Veterinariam quoque conscripsisse auctor est Mercurialis lib. 4. cap. 2. & Phil. Ingrass. Quaest. de Ve-  
 \*\*\*\*\* 2 16-

## V I T A C E L S I .

*terinar. cap. 9. Herbarium verò ei adscriptum, Apuleji potius credit in vita Apuleji Elnenborstius. Julium quidem Celsum inter rei militaris Scriptores enumerat Rob. Valtur. quemadmodum huic à nonnullis adscripta sunt Julii Caesaris Commentaria. De quibus tamen nihil verè constat. Varia sanè ejus eruditio aliud prodere non potest, quàm Virum ingenuè natum, magna seculi felicitate, quod bonarum literarum erat feracissimum. Excepit nempe coluitque ea aetas Viros scientia, prudentia, ac eloquentia summos, Tullium, Salustium, Catullum, Virgilium, Propertium, Horatium, Tibullum, Manilium, Vitruvium, Antonium Musam, Ovidium, Livium, Scribonium Largum, Valerium Maximum, Vellejum Paterculum: atque si se in Claudii imperium ipsius extenderit vita, Quintum Curtium, Persium, Senecam, Silium Italicum, Plinium, Viros omnes consummatissimos, in quibus tamen postremum nonnulli Celso juniorem censent. Opinionem meam firmat laudabilis veterum consuetudo, qua tria nomina Nobiliorum, Celso etiam Plinii auctoritate rata; Libertis raro, nec fermè sine gravi causa unquam concessa scimus, quibus tamen semper servile nomen remansit. Nec moror, quòd Celsi Epistolae apud Marcellum in limine Operis Praenomen desit, quo soli Romani insigniebantur. Nomen enim apud bonos Auctores saepe Praenomen & Cognomen includit. Hinc Martialis:*

*Ut jugulem curas, nomen utrumque bi-  
bam.*

*Salutaribus itaque disciplinis Graecisque literis,*  
*non*

V I T A C E L S I .

non levi nobilitatis indicio, rectè institutus, facile potuit seculo tam augusto ac beato, nihil non (ut ipse in Epistola ad Natalem refert) dignum sublimi Romanorum majestate de bono Medicinæ Artis splendidissimè scribere, idque perennitati & literis mandare, utilitatis magis quàm delectationis causa.

Scio equidem, non deesse multae auctoritatis Viros, qui ex modò adducta Celsi Epistola opinantur, ipsum animo in diversa studia diviso, Graeca duntaxat medicinalia in Latinum convertisse, aut Empedoclis & Democriti exemplo non ut merus atque ad quaestum Medicus, sed ut sapientem, atque, ut Columellae verbis utar, uniuersae naturae prudentem, Medicinam veluti Philosophiae partem cum sapientiae studio coniunxisse. Ideoque nec factam ejus ab Aureliano mentionem, Barthio Adv. lib. 38. cap. 3. censente. Nec denique unquam Medicinæ operatum. Credat qui volet. Nec eam litem meam facio. Medicum certè agnovit magnus Scaliger de Re Num. 36. Remedia quidem, Hippocratis & Galeni exemplo, aliunde congesta digessisse, ultrò largior, ipsam ve d Morborum τέχνησαν & Διαταξέων proprio ingenii ductu contextam pro me res ipsa loquitur. Quin ipsum Pharmaca praebuisse, non mediocri gloria, ex ipsius ad Julium Callistum Epistola satis liquet. Quorum artificiosam mistionem se accuratè intellexisse prodit ipse lib. 7. cap. 26. Unde Cornarius fortassis inter Pharmaceuticos reposuit. Imò dedita opera ab aliis praetermissa proferre ac illustrare voluisse censuit Minadous, variae eruditionis Medicus, de Ext. Affect. lib. 2. cap. 3.

\*\*\*\* 3

Ma-

V I T A C E L S I

Maximèque Medicum ejus Chirurgica probant, quae Gesneri in Catalogo Chirurgorum sententia, veterum solus Latine scripsit, ut verè ipsum inter Chirurgos reponat doctissimus Septalius Animadv. lib. 8. Caut. 1. §. 40. Tanta verò id fide peregit, ut Hieronymus ab Aquapendente, Medicus & Chirurgus usu vel annis nemini secundus, in Operat. Chirurg. cap. de Chir. Dent. his verbis sese in ipsius laudes diffuderit: Mirabilis Celsus in omnibus; quem nocturna versare manu, versare diurna, consulo. Nec mirum: quum Celsus eruditissimo Manardo Epist. Medic. lib. 9. Epist. 1. bonus & fidelis Hippocratis interpres, licet in aliquo verbo quandoque lapsus videatur. Quod Viro in omni literarum genere exercitato vel ipsa πολυγραφία libenter profectò condonari jubet, quamvis non diffiteatur ipse non pauca se ex aliena quandoque sententia posuisse. Horatio pariter Augenio de Miss. Sanguin. lib. 8. cap. 1. Lomnio, Ronsseo Epist. Medic. lib. 8. sect. 3. cap. 7. Schenckio, Jo. Heurnio, Bened. Matamoro, Rod. à Castro, innumerisque praeclari judicii Medicis, propter singularem & succinctam cum elegantia doctrinam, Latinus Hippocrates appellatur, in quo Pantini judicio Comment. ad Celsi lib. 1. cap. 1. optimae Methodi ac viae rationisque docendi discendique, & in summa brevitate mira Artis & Sapientiae observatio plerunque animadvertatur. Rectè igitur Agricola de Pond. Rom. lib. 4. Celsi, inquit, auctoritas Medicis nota est, aut saltem esse debet. Quam elegantissimis verbis Caelius Rhodiginus Antiq. Lect. lib. 26. cap. 3. insinuavit: A Cornelio Celso versuram faciunt multi. Verùm ci-  
tra



## V I T A C E L S I.

tra illius sententiam nihil fermè promunt; perinde ac verba sint veterum sacrorum, quae demutasse piaculare flagitium planè censerì debeat, quodque hostiis majoribus procures. *Inde Fernelio, Franciae Hippocrati, referente Plantio in Vita Fernelii, cum ob orationis puritatem, tum ob sententiarum pondus, quàm charissimus fuit. Jurisconsultis procul dubio iisdem nominibus usque aded venerabilis, ut Pandectas suas hujus Viri auctoritate muniri voluerint. Verùm, ne nimis laudibus verius is oneretur, quàm ornetur, quem mortalium nemo rectè vituperavit: unicum Heurnii judicium, inter cetera gravissimum, huic Virtutum coronae lemnisci loco satis erit. Ita ille Meth. Stud. Med. cap. 5. Latinos inter Medicos primus est Cornelius Celsus: sed prudenter legendus. Nam in multis Asclepiadem Methodicum sectatur, ut fatetur ipse. Hujus cote stylum subigemus, & pluris Latinitatem ejus quam Medicinam faciemus. Unicus itaque Celsus, ut scitè idem in Epist. ad Rom[an]. Celfo praefixa, Medicis latinis praeferatur: qui pomœria Romanae eloquentiae eò protulit, ut Medicina suavissimo ore eloquentiae jam sese cultioribus ingeniis meritò commendet.*

*His quotquot naturae associavit benignitas, aequos adfert animos, eleganti favete linguae. Ita Vobis, & verum animi sermonisque cultum, & firma valetudinis praesidia parabitis. Tantum est.*

Optandum est, ut sit mens fana in corpore sano!

\*\*\*\* 4

LIBRI